

Decisionum Aurearum Lib. I.

- 3 tamen pœna † sensus in hoc seculo persoluenda, vel per pœnas sponte à nobis pro vindicando peccato suscepias, vel sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositas, vel etiam per temporalia flagella à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata, iuxta conc. Trid. sess. 14. cap. 9.
- 4 Et nec † est inconueniens, vt quamuis per contritionem amicitiam recuperet, tamen pœnas soluat, uel hic spontaneas, uel in purgatorio inflictas: nam etiam hoc in seculari vsu comprobatur; qui enim alteri iniurias intulit, licet de iniuria veniam petat, amicitiam reconciliet, tamē remanet damni debitor, ratio ne iniuriæ. Et de hoc in ueteri testamēto apertissimū testimonium est, 2. Reg. 12. Vbi cum Dauid penitentia ductus dixisset ad Nathan, peccauit domino: Respondit Propheta, Dominus quoque transtulit à te peccatum tuum, veruntamen filius, qui natus est tibi, morte morietur, id est in pœnam flagitii. Sic Num. 14. oranti Moysi, vt dimitteret populo idolatriæ scelus, respondit dominus, Dimisi iuxta uerbum tuum: attamen omnes, qui tentauerunt me, non uidebunt terram, pro qua iurauit patribus eorum. Igitur concludendū ex his,
- 5 quòd effectus † cōtritionis est remissio peccati quo ad totam culpam: quinimo potest esse conuersio mentis in Deum, & in detestationem peccati tam uehemens, vt perfectè remissionem peccati homo consequatur, non solum quantum ad purgationem culpæ, sed etiam quantum ad remissionem totius pœnæ, ita D. Thom. lib. 4. contra Gent. cap. 72. & in 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 3. ad secundam quæstio. glo. in cap. mensuram, de pœnit. dist. 1. in cap. Deus qui. de pœnit. & remiss. in extra. 1. de pœnit. Verum & si habuerit homo tam perfectam contritionem, † tenetur tamen confiteri; tū quia contritio uera non est, nisi propositum confitendi habeat annexum; tum propter incertitudinem; tum, ut humilias exerceatur, & ut satisfaciatur ecclesiæ, quæ scandalizata est, de pœnit. dist. 1.

iudicet, & ad cautelam, dist. 50. presbyteros. 34. q. 2. in lectum. glo. in c. sicut primi, de pœnitent. d. 1. & in summa ead. d. uerf. sunt enim: tum etiā, ut adimpleat præceptum de confessione datum, D. Thom. in 4. ubi supra, ad primum. Si tamen non confitetur, non redeunt peccata commissa, D. Thom. in 4. sent. lib. 4. distin. 14. art. 4. [Cum ergo sit tam utilis hæc contritio, postulemus à Deo, ut illam nobis concedat. † Hęc est enim, quæ tanquam fortissima machina conterit totam congeriem peccatorum: quæ quasi murus separat Deum à peccatore. Item dirumpit laqueos, & cathenas diaboli. Vnde Ps. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Item destruit carcerem infernalem, quem demones paraue-rāt peccatori, & eneruat uires diaboli. Quod significatum est in Sansone, qui postquam creuerant capilli eius, uiribus resumptis concussit duas columnas, & domus corruit, ita q̄ ipse cum Philisteis mortuus est. Per Sansonem intellige peccatorem penitentem, per capillos, dona Spiritus sancti, per contritionem uires restitui. Per duas columnas, duas eō cupiscentias, scilicet concupiscentiā carnis, & concupiscentiam uitæ; uel concupiscentiam malum perpetrandi, & negligentiam boni operandi, talis penitens interficit se, id est ueterē hominē, quem exiit, domum infernalem sibi paratam subuertit. Philisteos, id est demones occidit: quia potestas eorum in tali pœnitente extinguitur, & uires ad nocendum ei de cetero eneruantur. Hęc est contritio, iux. Ps. quæ conterit brachium peccatoris, & maligni, id est diaboli. Ista reparat muros Hierusalem, quos destruxerat Nabuzardar. vnde Ps. 50. Benigne fac in bona uoluntate tua, id est cōtritione à te solo gratis data, uel danda Syon, id est anime, ut sequatur, & sic edificentur muri Hierusalem, id est per ipsam cōtritionem. Hęc est, quæ parit prolem boni operis. Vnde Gen. dictum est, In dolore paries. & breuiter mudat animam à reatu culpæ, liberat à pœna gehennæ,